

audire, tunc iusta esset defensio, ad tradita per Thom. del Bene de comitiis dub. 4. sec. 19. subsect. 1. nu. 7., at si defensio trahat partes ad iudicia Laicalia, ibique cogantur sustinere sententiam, tunc non est defensio salvo moderamine inculpatæ tutelæ, sed iniusta usurpatio alienæ jurisdictionis, & violenta iustitiæ oppressio, hinc est, quod Salgadus loco supra citato, aliique apud ipsum, licet concedant hanc defensionem esse iustam, tamen dicunt pariter intelligendam esse extrajudicalem, & de facto, Torreblanca de Magia lib. 3. c. 27. num. 8., nec aliter sustineri, quod etiam deducitur ex c. 14. Bullæ cenæ, ubi excommunicantur Magistratus, & Judices Laici, qui quoquomodo se interponunt in causis ad Judices Ecclesiasticos spectantibus, tamquam Judices, quæ dictio tamquam Judices limitat dispositionem, ubi si se interponunt, sed non tamquam Judices, sunt ab ea excommunicatione immunes, posse tamen declarare commissam esse violentiam ab Ecclesiastico, dicit Torreblanca loco supra citato num. 29. post plures allegatos, quem videas, Salgad. de Regia protect. p. 1. c. 3., in quo sensu intelliguntur omnia jura concedentia, quod contra Clericos, advocentur etiam Laici ad defensionem, semper scilicet salvo moderamine inculpatæ tutelæ, & ad resistendum contra facientem de facto, quam defensionem licere, etiam Romana Rota pluries coram Seraphino, Blancheto, Pegna firmavit, ex allegatis per Torreblancam de Magia lib. 3. c. 27. sub num. 34. Vers. ad tertium, & seqq., & apud Salgad. de protect. Regia p. 1. c. 1. præludio 5. à n. 272., & seqq., quam tamen defensionem extrajudicalem reprobatur del Bene d. sec. 19. subsecut. 3. num. 2., nam in praxi, ista defensio non est extrajudicialis, & sine cognitione, nam Laicus Magistratus, tunc videt acta, processus, & fert sententiam, condemnat in expensis, &c.

11 Ad tex. in c. filiis, vel nepotibus, ubi quod data Episcoporum negligentia, adeundus sit Rex intellige, non ut ipse iudicet, sed ut Episcopos moneat, & auctoritate sua moveat ad tollendam negligentiam, ad Jus reddendum; Maria verò de Jurisd. p. 4. centur. 2. casu 43. num. 4. intelligit hunc textum habere locum, quando ex privilegio Papæ, Jus patronatus Ecclesiæ, & beneficii, spectat ad Regem, sicuti collatio, & institutio, quam sententiam videtur approbare Duard. in bulla cenæ

lib. 4. can. 14. quæst. 8. num. 8., ubi etiam hunc textum habere locum, quando Rector beneficii cogi non potest per Judicem Ecclesiasticum, ad reparandam Ecclesiam, dum minatur ruinam, ita ut non sit tempus recursus ad Papam, vel ut Azorius loco supra citato, & plures apud Barbosam in præcitato c. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 15. de constit., dicunt antiquiores canones, sicuti istum fuisse sublato per Innocent. III. in c. qualiter, & quando de Judic., sicuti sublato est c. si quis cum Clerico xi. quæst. 1., aliique similibus loquutionis, Thom. del Bene de comitiis dubit. 4. sec. 19. subsec. 1. num. 6., nec mirum videri debet, ut notat Azorius si antiquitus multa, aut permittentur, quæ postea fuerunt sublata, nam etiam antiquitus Imperatores, Papam electum, confirmabant, & tamen certum est, quod Laico Magistratui nullum Jus competat, aut competere potuerit in electione summi Pontificis, hoc autem contingebat de facto, propter præpotentiam Principis Laici, at ubi Ecclesia roborata est, & excussit jugum Deo donante, quo à tanto tempore opprimebatur, ita & sustulit ea, quæ illicitè, & iniuste Laicis videbantur permittenda in præjudicium Ecclesiasticæ jurisdictionis, ad evitanda graviora mala; Sperell. decis. 126. num. 81. per tex. in c. Valentinianus dist. 63., Pesant. de immunit. Eccles. disp. 16., Filiuc. tom. 1. tract. 16. c. 10. num. 263., Bonacina de legibus d. 10. quæst. 2. p. 1. §. 1. num. 12., Salas de legibus quæst. 96. tract. 14. d. 14. c. 19. num. 109., & post alios Barboza in eod. c. filiis, vel nepotibus num. 6. ad finem, Tusc. in Vers. negligentia concl. 35. sub nu. 14., Thom. del Bene de immunit. c. 3. dubit. 8. sec. 4. num. 1., pluresque allegati per Dianam p. 1. tract. 2. resolut. 15. per totum.

12 Qua propter Concilium Trid. sess. 25. c. 3. de reform. hæc decernit (Nefas autem sit seculari, cuilibet Magistratui, prohibere Ecclesiasticum Judicem, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, etiã sub prætextu quod contenta in hoc decreto non sint observata, cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos, hæc cognitio pertineat), hinc est, quod vetitum est Clericis, recurrere ad Magistratus, ac Judices Laicos, sub excommunicatione, ipso Jure incurrenda in Bulla cenæ c. 16., ad quod tamen respondent Galli, Bullam cenæ in iis Regnis, vel non esse publicatam, vel non esse acceptatam, quam responsionem impugnat Thom. del Bene de immunit., & jurisd.

& jurisd. Ecclesiastica c. 3. dubit. 8. sec. 4. num. 2., sed eam probabilem sententiam, scilicet quod Bulla, quæ non sit usu recepta, non obliget in conscientia, dicunt Beccanus 2. 2. c. 15. q. 2. num. 6., ubi testatur, quod in multis Germaniæ partibus Bulla cenæ non sit usu recepta, & p. 2. tract. 3. c. 6. quæst. 8. num. 4. Azor. p. 1. lib. 5. c. 4. quæst. 1., Putean. in p. 2. D. Thomæ quæst. 11. art. 4. dub. 2., Filiuc. tom. 1. tract. 11. c. 1. quæst. 5. num. 11., Valerius de differentiis utriusque fori V. peccatum diser. 30. n. 3., Megala in 2. 2. lib. 2. c. 1. p. 6. quæst. 3. n. 115., & 117., Bonacina de legibus disp. 1. q. 1. p. 4. num. 39., Villalobos tom. 1. tract. 2. dub. 16., contraria tamen sententia communior, & firmior est, quam docet Suarez de legibus lib. 13. c. 19. num. 8.

13 Nituntur etiam Regii ministri firmare consuetudinem prædictam ex eo, quia nota Summo Pontifici, nec damnata, sed tolerata

14 Respondit tamen del Bene de comitiis c. 3. dubit. 4. sect. 19. subsect. 4. num. 14., quod tolerantia non est approbativa, sed tantum permissiva, ad evitanda graviora mala, & incommoda.

15 Responsiones ergo allatæ c. filiis, vel nepotibus aptantur cæteris testibus incontrarium adductis, quod scilicet sint sublato per c. qualiter, & quando de Judicis, vel quod intelligantur de recurso extrajudiciali ad laicum magistratum, & ut Ecclesiam potentia sua defendat, robore muniat, Episcopos, & Judices Ecclesiasticos moneat, non verò, ut Ecclesiasticæ jurisdictioni præjudicet, sic c. si quis Præbiter de Clerico excommunicato c. Principes seculi, c. Regum officium 23. quæst. 5. bene explicant, quod Princeps Laici invocati in auxilium ab Episcopo, debeant auxilium ferre, quod non importat negligentiam supplere, aut jurisdictionem usurpare.

ARTICULUS XIX.

An saltem Judex Laicus suppleat Negligentiam Judicis Ecclesiastici in realibus.



IN præcedenti articulo locuti sumus de supplenda negligentia in personalibus, idest in Judiciis, quibus Clerici, & quælibet persona Ecclesiastica, vel in causa criminali, vel alia causa venit in iudicium, sed quid si non persona, sed res Ecclesiasticorum essent sub Judice, ut in causa civili, an tunc Judex Laicus suppleat negligentiam Judicis Ecclesiastici.

1 Plures fuerunt in sententia, quod suppleat, sic Hostiensis in summa de foro compet. §. liquet etiam num. 12. Vers., sed nunquid Judex secularis; Marian. Soccin. in c. si quis Clericus n. 28., & in cap. sanè de foro compet. num. 10., pro qua sententia faciunt c. qualiter, & quando de Judicis, c. quod Clericis; c. si diligenti de foro compet. qui tex. videntur prohibere solū, quo ad iudicia personalia; Tum quia Clerici reconveniuntur coram Laico, ad latè tradita per Barbosam in c. 1. de mutuis petitionibus num. 11., Ambrosin. de immunit. Eccles. c. 20. num. 36., Carolus de Grassis de effectibus Cleric. eff.

1. num. 748., tum quia ex commissione Episcopi, Laicus potest cognoscere causas civiles Clericorum temporales, ad tradita per Sperell. decis. 126. num. 43., tum quia immunitas bonorum non est de Jure Divino; Ansaldo de jurisd. p. 5. tit. 3. c. 3. num. 10., sicuti immunitas personarum, quare non repugnat, quod hæc jurisdictio in realibus competat laicis iudicibus, & plura asserit Peguera decis. 56. num. 18. in fine.

2 Verum tenenda est sententia Abbatis in c. qualiter, & quando num. 8. de judic., quod scilicet Judex Laicus, neque in realibus suppleat negligentiam Judicis Ecclesiastici. Sperell. decis. 8. num. 53., ubi quod adversa sententia omninò sacris canonibus adversetur, & Clarius decis. 126. num. 58., ubi adversam sententiam declamat, omninò improbabilem, & quod Aufrer. sit. temerè locutus cum aliis ibi allegatis, licet Farinac. q. 8. num. 23. in causa possessorii, tamquam merè facti laicum Judicem in causa Clericorum dicat competentem, & ita praticari, quo etiam dato,

I non

non sequitur, quod in realibus, ubi de Jure agitur sit competens, & possit supplere, quod firmavit idem *Farinac. supra num. 21.*, ubi quod si in Galliis, aliisque locis contrarium fervetur, ut testantur aliqui scribes, id non procedit de jure, sed de facto, tum quia id expresse prohibetur in *c. si diligenti ibi, in criminali, seu in civili negotio*, dum enim dicit in *civili*, prohibet etiam iudicium in realibus; in *c. quod Clericis*, ubi expresse loquitur de causis pecuniariis de foro competenti, *c. Inolita xi. q. 1.*, ubi quod Clericus trahens Clericum ad iudicia publica, causam perdat, in *c. placuit eadem xi. q. 1.* dicitur, *vel civilis causa fuerit commota, & in c. qualiter, & quando de iudiciis* prohibitio est absoluta, & universalis, unde comprehendit, tam causas criminales, quam civiles, & reales; tum quia bona Clericorum gaudent exemptione fori, *c. decernimus de iudiciis, Sperell. decis. 12. num. 35., decis. 126. num. 74., & seqq., Ansaldo. de iurisdic. p. 3. tit. unico c. 9. n. 14., & seqq., Thom. del Bene de immunit. c. 5. dubit. 1. sec. 5.*, tum quia, etiam in causis civilibus adhuc verificatur, quod Iudex Laicus sit minor, & Ecclesiasticus major; unde naturalis ratio dicit, quod minor non suppleat pro majori, ut etiam superiori articulo notatum est, *c. cum simus 9. q. 3.*, ubi quod semper superior Ecclesiasticus aequandus sit, & ostendit, *Sperell. decis. 126. num. 59., & seqq.*, ubi resolvit fundamenta allata in *decisione Pegueræ, & num. 70.*, ubi quod publica utilitas, & pax non suadet, ut laicus suppleat negligentiam Ecclesiastici Iudicis; tum quia utilitas publica, primò, & principaliter debet non repugnare saluti animarum, cui repugnaret, si laicus usurparet iurisdictionem Ecclesiasticam, quod Simachus Papa in Concilio 6. Romano, tempore Theodorici Regis, satis expressit in *c. non licet Imperatori dist. 10.*, tum etiam quia utilitas publica exposcit, ut iurisdictiones non confundantur, & quod inferior non usurpet iurisdictionem superioris, nec mittat manum in messum alienam, ut in materia eligendi Episcopos Hadrianus Papa declaravit in *c. nullus laicorum dist. 63.*, tum quia Laici sunt Clericis maximè infesti, *c. laici, c. Clericos 2. q. 3.*

3 Utrum possit Laicus ex Papæ Privilegio hanc iurisdictionem in Clericos, quo ad realia habere, & utrum ex consuetudine immemorabili colligatur, vide *Sperell. decis. 126. num. 85., & seqq.*

4 Ad motiū de reconventione pro prima sententia allatum. Primò dicitur, quod sunt sententiæ D.D. diversæ in hoc articulo, & plures negant, licet standum esse consuetudini loci, dicat *Carolus de Grassis de effectibus Clericatus eff. 1. num. 746. 747.*, ubi assertur rationem, quia Clericus Iudicem elegit contra Laicum; propterea non debet dedignari eundem contra se habere iudicem *c. 1. d. cuius in agendo 3. quæst. 8.* nec Clericus dicitur prorogare iurisdictionem Laici, sed est ipsa lex, quæ prorogat, ut notat *Angel. in l. 2. §. sed, & si agnat ff. de iudic. num. 1., Ansaldo. de iurisdictione p. 3. tit. unico c. 9. nu. 55.*, tum ne causa dividatur, & in eadem plures, & diversæ sententiæ pronuncientur, & una actio impediatur alteram, quod omnino iure damnatur *l. si idem §. quod si mutue ff. de iurisdictione omnium Iudicum*, tum quia reconventio venit accessorie ad conventionem.

5 Quæ etiam reconventio cessat, primò in causa criminali, in qua Clericus non potest coram Laico reconveniri, propter defectum scilicet, & incapacitatem iurisdictionis in Laico, contra personam Clerici *Grass. d. eff. 1. num. 763. 773. ubi num. 764.*, cum *Ansaldo supra num. 117.*, etiam si causa criminalis tractaretur civiliter; Secundò cessat, quando reconventio heret supra re spirituali, vel spirituali adnexa ex eadem ratione, quia Laicus incapax est iurisdictionis in res spirituales; *Grass. ibidem num. 766., ubi num. 769.*, quod, & cessaret reconventio, si Clericus convenisset Laicum coram Laico Iudice, per fraudem, & malitiosè, ut scilicet à Laico postea reconveniretur; *Ansaldo. de iurisd. loco supra citato n. 115.*, quia Clericus non potest cedere, aut renuntiare privilegio Clericali, quod non in sui, sed status Clericalis favorem inductum est, *c. si diligenti de foro compet. sunt, & aliæ fallentiæ hujus reconventionis, de quibus Grassus loco citato, aliique D.D. sunt videndi apud Ansaldo. de iurisdic. p. 3. tit. unico c. 9. à num. 52., & seqq.*

6 Quod autem immunitas bonorum Ecclesiasticorum non sit de Jure divino, ac propterea non repugnet cadere sub Laica Iurisdictione, Respondetur id ad summum probare, quod ex Pontificis privilegio Laico possit concedi, eo tamen sublato, semper patet, quod nulla iurisdictione competit Laico in bona Clericorum, & consequenter nequeat supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici, neque in realibus.

ARTI-

ARTICULUS XX.

De Negligentia in Moralibus, quid operetur.

Explicari de facili non potest, quanta mala operetur negligentia in moralibus, ad quæ evitanda Draco legislator Atheniensis legem statuit, ut qui damnati forent Otii, & negligentia, capite mulctarentur, vulnus namque sanabile, si negligas, lethale evadit, ut cecinit *Ovid. lib. 1. de remed. (Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus, dilatatum longe damna tulisse moræ)* ita ut *Gregor. in 1. lib. Regum* horrendum hoc pronunciarerit, quod negligens vix salvari possit, & potest colligi ex *cantic. c. 2.*, ubi capite nobis *Vulpes parvulas, quæ demoluntur vineam*, si enim parvulas Vulpes, idest modica, & levia spernas, negligas, demoliuntur vineam, idest omnes fructus spiritus devastant, & destruunt, hinc *Lucæ 12. Dives, qui epulabatur quotidie splendide, sepultus est in inferno*, eo damnationis devenit, quia micæ Lazaro dare neglexit, & habemus *Ecclesiastic. 19.*, qui modica spernit paulatim decidit, quanto magis si grandia negligat.

2 Prima, & inter omnes negligentias periculiosior, sed in pluribus frequentior, est negligentia sui ipsius, si enim cuncta de mundo diligentissime cures, ut politici anxio labore defudant, te autem negligas, & pereas, quid profunt cætera, quod notavit *Thom. à Kempis suo opusculo de Imitatione Christi lib. 2. c. 5.*, quod congruit cum Evangelica sententia *Matth. c. 16. Quid prodest homini si Universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, Curet ergo diligenter homo se ipsum cognoscere, & considerate suas operationes dirigere, neque quod æternitatem importat, negligat, docuit enim Spiritus Sanctus *Ecclesiastic. c. 7. qui timet Deum nihil negligit (idest neque minima)*.

3 *D. August. tract. primo in Epis. D. Jo. inter effectus negligentia enumerat contemptum peccatorum venialium*, ut dispositivè ad mortale perducatur, ibi multa peccata levia faciunt unum grande, intellige ut dixi dispositivè, ut colligitur ex *eiusdem serm. 88. de tempore*, ubi hæc (*dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, cre-*

scantibus minutis peccatis, adduntur & crimina, & cumulum faciunt, & demergunt, & otiosi de facili de aliis temere judicant; Hierony. in Micheam lib. 1., & in Ezechiel. lib. 13.

4 *Et D. Jo. Chrysost. hom. 27. in Matheum ait. Novimus multos ad ipsius propè Cæli verticem conscendisse, virtutum omnium partes, numerosque illustrium exercitationum habuisse, deserta denique loca à vita hominum aliena coluisse, & neque feminam, vel in somnis quidem vidisse, & tamen negligentia lapsos ad vitiorum baratrum devenisse. Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ait Apostolus 2. ad Corinth. c. 4.*, quid autem fragilius vase fictili, quo edocemur, quanta diligentia thesaurus sit custodiendus, dum non in arce forti, sed in fragili vase contegatur.

5 Democritus interrogatus, qua re industrii ab inertibus differant: respondit, qua Impii à Piis, certum est enim, quod otium, & voluptas sunt arma Diaboli, ad miseram animas captivandas, *c. Nisi §. Verum de renunt.*

6 Hinc apparet maxima differentia inter Dei, hominumque Iudicia, nam humanus Iudex de minimis non currat *l. scio ff. de integritate restitutione, l. si oleum ff. de dolo, c. cum te de re iudicata, l. quamvis ff. de condit. & demonstrat*, sicuti dicitur, quod de modico tempore non est curandum, *l. & si post tres ff. si quis caution., c. potuit de locato*, immò pro modicis non aditur Prætor, *l. placet C. de Pedan. Iudic.*

At coram Deo, etiam pro minimis neglectis iudicabitur homo, eique poenitentia subeunda est, sicque propter minimas negligentias, retineatur anima in Purgatorio, ne Divina fruatur visione, quod apud Iustos, & probos magnæ considerationis est, quinimò *D. Jo. Chrysost. tom. 5. suorum operum, discursu de levium peccatorum periculis, ait, quod nullus est peccator sine negligentia, quia dum vitia fiunt, imperata audaci contumacia negliguntur.*

Ad quod usque in terrestri Paradiso, primum hominem novit Deus, non esse otiosè negligendum, dum eundem posuit in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum.

7 Diligentia omnium virtutum mater est, & magistra; ubi è contra doctrinæ, & disciplinæ